



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Quantæ in cibo potuque abstinentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

medium collocabat, ad lectuli pedes, Christum cruci affixum; ut nempe manē, tam piæ imaginis recordatione expectatus, ad Christum honorandum, exosculandosque sacratissimos eius pedes commoueretur.

*Quibus
cum vitiiis
Religioso
pugnand-
um.*

*Stadium
rerum be-
nè gerenda-
rum.*

*Quanta in
cibo potu-
q; abstenen-
tia.*

Dicebat, aduersus tria præcipuè vitia Religiosis dimicandum esse; acediam, superbiam & gulam: acediam feruore, superbiam submissione, gulam temperantiâ superari. Cuiuscumque gerendæ rei cura illi incumberebat, in eam se dabat totum, perinde ac res quælibet longè omnium maxima fuisset, eaque sola administranda. Dicit omnino non potest, quàm modicis fuerit escis potationibusque contentus Ioannes. Non prius vquam mensæ recordabatur, quàm audito signo triclinij admoneretur; neque vquam potionis aut comestionis immoderatae conscientiam habuit. In triclinio, precatione religiosè peractâ, aliquanto post spatium quàm accubisset, quiescebat immotus, nihilque attingebat, sed mox porrectâ in mensam manu, illatum cibum instar communis cum Deo lancis in frustra carpebat, lautioribus Deo partibus asseruatis; statimque quàm citò alter missus inferebatur, lancem appositi prius ferculi dimittebat. Ratus eo interuallo tutius vescendi necessitatem definiri, quàm appetentiæ infatiatæ arbitratur. Affirmabat,
per

per vsum tractumque temporis, temperantiam paulatim acquiri posse; se verò, ne ientandi assuetudine obstringeretur, cœpisse ab initio suscepti tyrocinij detrahere quotidie aliquid buccellatim de cibo consueto, ad ad-
 fuesfaciendam lentè appetentiam, differendamque in prandij tempus; atque hac viâ didicisse abstinere. Illud assequi cogitando non poterat, quî fieret, Religiosum, ab omnibus vtiq; peccandi illecebris longissimè remotum, tot tantisque benè agendi præsidijs septum, in grauem aliquam noxam incidere posse. Somnolentiam, quâ vexabatur subinde, cum inter audiendum publicas domesticæve concionantium adhortationes somnum non teneret, commordendis ad sanguinem labijs, brachijsque liuore compressio-
 num decolorandis expugnabat: sic pertinacissimo naturæ vitio superato, vigiliâ se attentioneque assuefecit; eodemque remedio pluribus eodem malo laborantibus medicinam fecit. E meridianæ congressionis colloquio aiebat se novos spiritus colligere in reliquo spatium diei; vespertinâ autem colloquutione adiuuari ad instituendam ardentius meditationem, communionemque diei sequentis: quare videri sibi diuinitus instinctos fuisse Patres, qui sextis Comitij Generalibus, horæ illius geminæ remissionem, non leuibus

Ratio discēda temperantia.

De somnolentiâ triumphat.

Fructus colloquij post prandium et cœnam.

C ratio-